

1755

1. \* Bornius. *Boyarum, quo ordinis seniori et reliquis fac. jur. essentibus memoriam Borussiae nam . . . recolendam indicunt.*
2. Aland, Georgius David: *De lege majestatis ab Imperatore Carolo IV ad eos, qui in sacri impe. ris principum Electorum vitam conspirant, antea ejusque usum hodieque ad hunc Bullae Cap. 24 § 2.*
3. Bachius, Jo. Augustus: *De lege Anastasiana.*
4. Bahrdtius, Joannes Fredericus: *De constantia et perpetuitate pacis Augustanae ad memoriam ejusdem saecularem praecolendam.*
5. Benerus, Joh. Gorp.: *De pacto remissorio ante concursum formalem in foro Saxoniae Electoralis*
6. Breuning, Christianus Henricus: *De restitutione natalitum.*
7. Breuning, Christianus Henricus: *De testamenti factone feminarum*

- 1755 8. Breunig, Christianus Haun: De casu Dols in  
transactione 17.
9. Franke, Hermann Gualter: De jure singularium  
controverso 14.
10. Graefe, Cornelius Rudolphus: De rectoribus civitatis  
ex variis, quibus utimur, juribus.
11. Gutschmid, Christianus Gualter: De praerogativa  
ordinis inter legatos. 15.
12. Heinsius, Godefridus: De casuum ambiguum atque  
determinatorum in trigonometria, praesertim  
sphaerica disputatione. Programma, quo ad  
Trigoni orationum memoriae Heinsianae,  
Ridelianae et Sapphanae sacrasum rursus  
Lat. 16.
13. Heinsius, Godefridus: De casuum ambiguum  
atque determinatorum in trigonometria praesertim  
sphaerica disputatione. Continuatio. Program-  
ma, quo ad actum remissionis baccalaureo-  
rum philosophiae -- celebrandum in die 17. 18.

1755.

14. Hinrichs, Gersfordus, fac. phil. ex decanus: Pro Conglutina  
Lippiae ex celisribus lunaribus cognoscenda. Continuatio.  
Programma, quo ad memoriam Seyerianam . . . cele-  
brandam indicat.
15. Hommel, Ferdinandus Augustus, fac. jur. procancelle-  
rius: De spatio temporis in citatione ecclesiasti-  
ca concedenda. Programma, quo actum solennem Curiae  
Friederici Brekme indicit.
16. Hommelius, Ferdinandus Augustus: De temperantia  
paluis ab imbecillitate intellectus.
17. Meyliar, Gustavus Henricus: De privatione juris  
discretionis ob eorum abusu.
18. Rivinus, Augustus Florens, fac. jur. procancelle-  
rius: Programma, quo panegyrum in aq. Curiae Rudolphi  
Graepi . . . celebrandam indicit.
19. Schumann, Gollub: De politico Europaeo systemate

1753.

20<sup>te</sup> Heck, Jo. Anst. Wiltz; De ordinatione ad titulum  
patrimonii et paupertatis. Commentatio juris casu-  
nici. 2<sup>o</sup> Progr. Progr. quo ad Disputationes aestivas  
instat. 2<sup>o</sup>empl.

21<sup>te</sup> Heck, Jo. Anst. Wiltz. De signatoribus praesulum  
Germaniae.

22. Hege, Adrianus, fac. jur. pro cancellariis: De consuetudine  
regalium juris publici ac privati erroribusque exten-  
sionibus. Progr. quo solemnia doctoralia Teubneri  
Gymnasii Langens. . . . celebranda indicit





1755, 18. 47

PROCANCELLARIVS  
D. AVGVSTVS FLORENS  
RIVINVS

CAPIT. WVRZ. CANON. FAC. IVR. LIPS.  
ASSESSOR. SVPR. CVR. PROV. ET CONS.  
IBID. ADV. ORDIN.

PANEGYRIN INAVGVRALEM  
CANDIDATI PRAESTANTISSIMI  
CAROLI RVDOLPHI GRAEFII

D. VI. NOV. MDCCLV.

CELEBRANDAM INDICIT.

*an totalitium a fideicommissis familiae peti  
possit?*



PROVINCIALIARIVS

D. AVGVSTVS FLORENS

RIVINVS

CASIT. WVRZ. CANON. SAC. IVR. LIBS.

ASSESSOR. SVB. CIV. PROV. ET CONS.

LIB. ADV. ORDIN.

PANZOVIN INAVGVRALEM

CANDIDATI THEOLOGICVM

CAROLI RVDOLPHI GRAEFI

D. N. NOV. MOCCXVI

CELEBRATIONE

*Handwritten notes and signatures in dark ink, including a large signature that appears to be 'Graef'.*





Fecundissima controuersiarum in Iure nostro mater atque genetrix, fideicommissorum scilicet materia, inter alias ambiguas, quas in medio relinquit quaestiones, quam maxime dubios nos reddit, ubi de eo disceptatur: An dotalitium e fideicommissis familiae petendi ius sit viduae possessoris defuncti? Negatiuam qui tuentur, ex natura tam fideicommissi, quam dotalitii et feudi argumenta sua repetunt pariter, ac affirmantium rationes conuellere annituntur.

Quemadmodum enim, quod expediti iuris est, regulariter in fideicommissis non personae grauatae, vel ultimo possessori, verum ipsi testatori fideicommissi conditori succeditur *l. 41. §. 3. ff. d. vulg. et pup. subst. l. 67. §. 1. ff. d. legat. I.* MENOCH *Conf. CCCLVII. n. 4.* HARPRECHT *resp. LX. n. 606.* THILL *Disp. inaug. sub praef. HARPRECHTI de simult. succ. Germani et consanguinei fratris in fideic. fam. quae Vol. II. eiusd. Disputat. Acad. est. LIII. §. 37.* ita vel eo solo, personae, quae ob nexum cum ultimo possessore demortuo quicquam ex eiusmodi fideicommissis praerendunt, arcentur a successione vel participatione. Iam vero dotalitium vidua respectu, non ad fideicommittentem, sed ad proxime demortuum possessorem habito, petit. Aduersatur onus dotalitii intentioni fideicommittentis, qua, bona fideicommissis destinata, non nisi reuocabili iure possideri; sed et eadem conseruari et tota quanta in quoscunque; ad successionem

### III

cessionem vocatos, transferri voluit. Non magis enim fieri potest, ut, pluribus ad idem dominium successiue vocatis, quisque eorum dominium perpetuum et hereditarium; quam, pluribus simul vocatis, quisquam dominium in solidum habere possit. *l. 5. §. 1. ff. commod. l. 66. §. 2. ff. d. legat. 2.* Sed sicut horum concursu per partes, ita illorum successione per tempora dominium diuiditur, et morte extinguitur. HENR. DE COCCEII *de fideicommissis Fam. e manu heredis non capiendis §. 37.* Quo magis ergo resolutio iure dantis resoluitur et ius accipientis: eo magis, abolito per mortem possessoris iure, extincta videtur ad dotalium eiusmodi bonis, actio, qua ipsa substantia fideicommissi imminueretur; aut minimum, successor plena perceptione fructuum a tempore mortis, immediate praecedentis possessoris fraudaretur, adeoque tempore et re laederetur.

Insigniuntur ideo fideicommissa familiae perpetua a quibusdam germanica appellatione *Stammes Eigenthum*, tanquam, quae non sint in dominio singulorum possessorum, sed totius gentis, per gradus effectus domini exercentis et deuoluentis. Quo termino usus est PETRVS A LVDWIG ut plurimum, ubi fideicommissorum familiae in scriptis ac responsis suis mentionem iniecit: Nec male, quippe fideicommittens magis ad familiam, quam personas respexit; quo proximus quisque vniuersam familiam, splendore nominis, praerogatiua patrimonii, et vbertate reddituum repraesentet. Ad haec commoda ergo, sociatae per matrimonium personae extraneae, quae non sunt de familia, aspirandi titulo destituuntur.

Verum etiam est, in fideicommissis tot esse fideicommissa, quot personas, ac in cuiusvis persona repetitam quasi dispositionem fideicommittentis COCCEII *d. l. §. 38.* adeoque cuiusvis praedefuncti possessoris morte vacuofacto fideicommissio familiae, res in eum statum rediisse videtur ac si nunquam apud intermedios possessores fuissent bona restitutioni obnoxia, sed nouissimus successor immediate ab ipso testatore eadem obtinuisset. Coincidit enim quaestio: num fideicommissa familiae e manu hereditum sint capienda, nec ne? de qua fusius et ex instituto, *singulari dissertatione, paulo ante citata* HENRICVS DE COCCEII *Tom. II. Exercit. curios. disp. LXII. autoritate imprimis l. pen. §. 1.*  
ad

ad SC. Treb. et l. i. §. 9. in f. ff. cod. e manu heredis fiduciaria pe-  
 renda esse quidem eadem: a reliquis ipso iure transire in subsequen-  
 tes ostendit. Idque in feudo, quod vasalli heredes allodiales nullo  
 iure detinere possunt, sed agnatus aut simultanee inuestitus pro-  
 pria autoritate occupat, dubio prorsus caret. ROSENTHAL de  
 feud. C. VII. Concluf. 56. n. 67. ac in specie iuris est in maioratibus  
 Hispan. MOLINA de Hispan. primogenit. L. I. C. 12. vnde pro-  
 no fuit alueo, eius, per quem non fit, quo successio deuoluatur,  
 nec rationem, post deuolutionem factam, habendam ulterius  
 esse: Quod eueniret, si eius viduae in dotalitio prospiciendum  
 esset. Dato ergo hoc, consequitur, nullam curam habendam  
 esse viduarum, sed easdem pari cum maritis iure, id est, quasi  
 nunquam extitissent, censendas; hinc fictione iuris obliuioni  
 committendas esse viduas eorum, quorum, simulac e viuis sublati,  
 quantum ad fideicommissa ab ipsis possessa, quasi delera.  
 Suffulciri porro existimant Negantes sententiam suam, fauore fi-  
 deicommissorum, quo commotus D. Augustus, religioni sibi  
 duxit, voluntati fideicommittentium, cuius obseruantia inter ex-  
 empla probitatis et perfidiae fluctuauerat ante, quidquam detra-  
 here, quod deinde paulatim in assiduam iurisdictionem conuer-  
 sum est, nuncque sola voluntas defuncti in iis spectatur. L. 16.  
 C. d. fideic. §. 1. 12. I. d. fideic. hered.

Porro non leue argumentum deriuatur ab obligatione  
 negatiua fideicommissarii, cui regulariter integrum non est, bo-  
 na, fideicommissio subiecta, alienare. Non autem is tantum alie-  
 nare videtur, qui dominium transfert in alium, sed et, qui vsuf-  
 ructum concedit L. f. C. d. reb. alien. n. alien. Quo nomine solo  
 maritum in bonis eiusmodi dotalitium vxori constituere posse  
 negat IOH. GEORG SCHERZ in diss. inaug. Argentorati habita de  
 Dotalitio §. 7. siquidem dubio caret, dotalitium esse speciem vsuf-  
 ructus, siue in annua pensione, duplicatisque doris et dona-  
 tionis propter nuptias, vsuris; siue in ipsa perceptione fru-  
 ctuum ex feudo aliquo consistat. CARPZ. de oner. vasalli feud.  
 dec. IV. pos. ii. no. 7.

Speciatim vero in dubium vocatur: an possessor fidei-  
 commissorum familiae, ob dotationem filiarum, vel aliud vrgens  
 aes alienum, eadem alienare possit? quod ex instituto sub incu-  
 dem vocauit PET. A LVDWIG in Ephemerid. Hallens. sub rubro  
 a 3

Geleby

**G**elehrter Anzeigen N. 49. Cuius quidem argumentis tantum non omnibus, potissimis certe subscriberem. Nec prorsus improbanda est eius sententia, qua possessores fideicommissorum familiae eadem alienare quidem, sed non nisi reuocabiliter; agnatos vero statim post mortem alienantis vindicare posse contendit. Qua in re non nouam sententiam proposuit, sed qualem CVIA CIVM fuisse, distinctius tamen proposuisse ex eius *Observationibus Lib. XV. Cap. 5.* edocemur; vbi in casu alienationis fideicommissi necessariae propter credita heredis fideicommissi petitionem non statim dari, sed post mortem demum alienantis, demonstrat vid. *l. 69. §. 1. ff. d. leg. 2. conf. Nob. DN. DE BERGER in Oec. Iur. L. II. T. IV. §. 32. n. 10.* Sin voluntaria, statim proximus e familia vindicare poterit. *l. 77. §. 27. ff. d. leg. 2. l. 21. ff. d. fideic. lib. l. f. §. 2. 3. C. comm. d. legat. BEK de licit. maioratum et fideic. fam. Nobil. alienat. §. VI.* et quos allegat. Hac in parte plus iuris in fideicommissis familiae habent consanguinei, quam agnati in feudo. Hi enim non nisi mortuo vasallo; illi etiam viuo alienante, alienationem reuocant. HILLIGERVS ad *Donellum IIX. 28.* Ex quo illud consequitur, in utroque ad summum alienationem non ultra vitam possessoris, qui alienauit, subsistere.

Sed et plerique omnes, qui fideicommissa familiae ob dotem, per quam, iuxta *L. 22. §. 4. ad SC. Treb. non potest dici in euerfionem fideicommissi factum quod et mulieris pudicitiae, et patris voto congruebat*; filiae, vxori, aut viduae vel constituendam; vel reddendam; aut ob donationem propter nuptias, quorum surrogatum est dotalium; aut ob augmentum dotis et dotarium etiam alienari posse, auctoritate *Auth. res quae C. comm. d. legat. et Nou. XXXIX. C. I.* asserunt, concedunt, illud saltem valere in fideicommissis ab ascendentibus, non a collateralibus ordinatis: quia in his cesset ratio pietatis et obligatio ad dotandum, aut secundum *l. f. C. d. dotis promiss. pro filio ante nuptias donationem dare FRANC. CENSALIVS ad Peregrinum de Fideic. ad art. XLII. p. 269. declarat. §. neutiquam in feudis, imprimis in antiquis et maioratibus. PEREGRINVS d. art. n. 63. neque in primogenituris TIRAQVELL. d. primogenit. qu. 62. nisi in subsidium, deficientibus aliis bonis. ANT. DE PETRA Tr. de Fideic. quaest. IIX. n. 455. BEK l. c. §. 5. et vbi fructus fideicommissi non sufficiunt. Nam et ex his imprimis colligendam esse dotem directo disponit *cit. L. 22. §. 4. ff. ad SC. Treb. quod si tantos fructus ex hereditate**

*hereditate mulier percepit, ut inde potuerit doti satisfieri, dicendum est potius fructibus hoc expensum ferendum, quam fideicommissio. Quo ipso haec thesis in tutum collocatur: irregularem esse petitionem dotis, aut dotalitii e fideicommissio familiae, et quae rarissime, nec ipso iure, verum per accidens saltem admittenda sit. Exinde ulterius fluit, quemlibet possessorem fideicommissi, dum uxorem ducit, fructuum partem in casum mortis seruare debere. Si praeterea largiuntur, non tanquam debitum feudale aut absolutum considerandum esse: per consequentiam, neque in fideicommissio, ab aliquo remotiore ascendentium ordinato, pietatis praetextus quicquam operabitur: Quandoquidem proximi tantum ad dotandum obligantur, et dotalitium respectu saltem possessoris, etiam si ex feudo debetur. Multo minus iis, qui ante nuptias, ab eodem celebratas, ius quaesitum ad vniuersum fideicommissum petendum nacti fuere, facto possessoris quicquam adimi potest. Ad ipsam vero *Nouellam* quod attinet, quae doti, post institutum iam fideicommissum paternum, a filio possessore acceptae, ex fideicommissio etiam prospicit, in aprico est, eandem tantum de casu fideicommissi vniuersalis, quo omnis hereditas onerata; aut, vbi periculum restituendae dotis imminet; aut vxor possessoris nesciuit mariti possessiones, restitutioni subiacere; aut aliunde satisfieri non potest, disponere. Quod manifeste indicant verba in *prooem.*: *et trahat MULIERIS res, dicens fratrem quidem suum eas expendisse: item: se ignorante, nec non: amissionis periculum sustinere deinde Cap. I. Si non suffecerit legitima pars ad dotis aut ante nuptialis donationis oblationem: Denique haec verba: Sancimus enim secundum hunc modum excipi modis omnibus ad restitutionem nuptialia documenta et super bis factas alienationes.* Quicquid vero eius sit, lex haec specialis, correctoria, quae exceptionem facit a regula, per verba itidem expressa: *Sed futurum erat, quod praediximus: ut, quod fere omnia consuevit, tempus ostenderit, indigere quadam exceptione necessaria legem, in non exceptis firmat regulam, ac strictissimae interpretationis est, nec inde a pari colligere licet; fallitque regula, surrogatum sapere naturam eius, cui surrogatur, vbi vtriusque peculiaris indoles ac ratio est. Inde aegre dotalitii petitioni praesidio esse poterit *Nouella* haec, quae doti patrocinatur. Quod si demum illud largimur, quod citatur**

A LUDWIG pro sua adducit sententia, et pluribus adstruxit KNIPSCHILD *de fideic. fam. C. X. n. 6. §qq* quemlibet possessorem fideicommissi familiae tantum usufructuarium censendum esse, maxime quoad

quoad durationem HARTM. PISTOR *L. II. Qu. 6. n. 3. fqq.* multo minus dotalitio in eodem locus erit: Quia in eo omnes conspirant, dotalitio fundum usufructuarium onerari non posse SCHERZ *l. c.* nam de formali, non ita dicto causali usufructu sermo est. Equidem dominium reuocabile vulgo asseritur fideicommissario; cui opinioni fauet *L. 69. §. 1. ff. de leg. II.* vi cuius, quando bona alicuius veneunt, et fideicommissum alienatum videtur. At enim vero, partim aliud in bonis, aliud in dominio esse, et in bonis etiam ea esse dicuntur, quae b. f. a nobis possidentur: partim non tam ipsa res, quam eius detentio, et potestas acquirendi eo casu, si caeteri, qui sunt de familia, ante testatorem moriantur *l. 48. §. 1. ff. d. iure fisci* L. B. DE WERNHER *P. VI. O. 484.* penes emtorem, ob nondum natam actionem eius qui proximus et familia est, et eatenus saltem alienata reputatur: partim per vniuersitatis alienationem, obiter tantum ea, quae alienare non licet; alienantur, vid. STEPH. FORCATVLVS in *Tr. qui inscriptus Cupido Iurisperitus Cap. XIII. §. 6.* Etenim in dominio non habet fundum fideicommissum qui possidet, sed secundum claram dispositionem *L. 54. ff. ad L. Falcid. in alieno aere, necessitate quippe obstrictus eum relinquendi*, qui censetur perpetuo in dominio fundatoris fideicommissi remanere. Vnde *paternae res* dicuntur adhuc, quas filius sub lege fideicommissi usque ad mortem possidet in *proem. Nou. XXXIX.* Eandem etiam ob causam, per speciale beneficium actione in rem vindicari possunt in vim fideicommissi relicta; quae antea tantum personali actione petebantur *l. 1. C. Commun. de legat.* Caeterum firmat illa *lex 69.* regulam, quod tertia persona, qualis vxor est, per vltimum possessorem non nisi vitae eius coaeuum ius; adeoque repraesentarium, non deriuatum in fideicommissio familiae habere possit.

Patrocinatur insuper Negantium sententiae praerogatiua fideicommissorum familiae, qua simplicia fideicommissa antecellunt: quae praeprimis in eo se exerit, dum in illis duplex detractio, nempe legitima et trebellianicae exulat. *Auth. sed et in ea C. ad L. Falcid.* L. B. DE LYNKER *Vol. II. Resp. 152. n. 6.* KNIPSCHILD *de fideic. fam. C. VI. n. 165.* quicquid dissentiant *ICri Halenses* apud BOEHMERVM *Tom. II. Resp. 695. n. 39.* qui et in vniuersali familiae fideicommissio vtrique locum relinquunt. At in simplicibus, autoritate iuris Canonici c. RAYNVTIVS et c. RAYNALDVVS *X. de Testam.*  
a nobis



a nobis hac in parte recepta, non ob iuris ciuillis rationem, aliter se res habet HOTO MANN *Quaest. Ill. Qu. XLIII.* verum in conditionatis tantum, vel in diem relictis, a liberis primi gradus praestandis, quod grauiissimis rationibus docuit *Summe Reuer. Illustris atque Magnif. Ordinarius noster BAVERVS peculiari programme, quo Promotionem HARTMANNI anno MDCCXLIV. indixit.*

Sed et aequae prona est natura dotalitii ad partes negantium. Illud enim, sicut in allodialibus et quidem per textum *Spec. Sax. art. 75. L. III.* An Eigen ist der Frauen Leib-Gedinge, weil es ihnen niemand brechen mag, so lange sie leben, aber am Leben nicht, weil es ihnen auf mancherley Art mag gebrochen werden. conf. *S. Lehn-Recht, C. LVII. MYLERI Gamologia C. XII. §. 1.* proprie; ita et in feudo moribus vniuersalibus Germaniae, de cuius iure hic saltem dispicimus, sed et legibus expressis *Alemann. Baiuar. Burgund. Ripuar. Wisigoth. Specul. Sax. et Sueuic.* receptum atque firmatum, describi solet, per ius, quod vir vxori suae ratione dotis datae, in suis bonis concedit, vt eo, *vidua facta* ad dies vitae *vtatus fruatur* *CARPZ. de Iure foemin. Singul. Dec. V. Pos. IIX. n. 4.* vbi et genus et differentia specifica comprobare videntur, non posse in casum viduitatis in bonis fideicommissariis illud petere relictam: cum ex eo demum momento effectum suum exerere debeat, quo temporarium mariti ius, vnde fructus in eam deriuari debebant, vna cum vita eius expirauit. Nec longe ab hac definitione discrepant feudistarum definitiones: quod sit *vsusfructus* quidam, vxori a marito alioque *cui hoc incumbit* in feudo plerumque constitutus, vt eodem vidua facta fruatur ad dies vitae, in remunerationem *illatae, et in vtilitatem feudi conuersae dotis.* Prospectum eunt mores Germaniae hoc ipso beneficio viduae; quod autem ex fauore non tam personae, quam rei; aut saltem aequaliter vtriusque descendit; quanquam odio personae, quae se indignam reddit eius beneficii, ceu ex causis, ob quas excluditur vidua dotalitio patet, aliquando adimarur. In praesenti vero casu fauor rei, vnde praestandum dotalitium, petenti illud obstat, huiusque fauorem vincit.

Sunt praeterea, qui dotalitium viuentis marito, instar expectatiuae esse contendunt. *vid. LE IEVNE diss. inaug. Argent. habit. de dotalitio th. XIII.* Ex quorum sententia sequens fuit contra dotalitium

talitium ratiocinium: Si in casum mortis mariti ex lege primi fideicommittentis, alii, nempe proximo e familia eius, ius fortioris et antiquioris expectatiuae tributum: non ei derogabitur per expectatiuam, vxori possessoris demortui concessam. Sique ipse maritus non gaudet potestate de successore in fideicommissariis bonis sibi prospiciendi: in aprico est, ab eo expectatiuam in vxorem deriuari non posse: quia nemo alii praestare potest, quod ipse non habet. *l. 20. pr. ff. d. A. R. D.*

Supereft, vt ad ipsam *indolem feudi* descendamus. In vniuersum bona familiaris seu gentilitii fideicommissi nexu deuincta de natura feudorum multum participant et propterea ab his ad illa et viceuersa collectio valet vt plurimum *VVLTEIVS de feudis L. I. Cap. III. n. 27. SCHRADER. Conf. XIII. n. 9. et C. VI. n. 28.* Potissimum vero dotalitium ex feudis debetur: ideoque, quatenus principiis iuris beneficiarii conueniat dotalitii petitio ex fideicommissio perpetuo familiae in feudo constituto, dispiciendum. Origo feudorum, quae liberalitate domini directi primitus conferebantur ob seruitia feudalia, ideoque militem leuis armaturae, non vxoratum antiquioribus temporibus desiderabant, aliena ab onere dotalitii. Insuper constat, feuda sine consensu domini agnatorum ac simultanee inuestitorum onerari non posse. Ipsa quoque obligatio feuda conferuandi idem prohibet. Negari equidem non potest esse quaedam debita feudalia, quae, deficiente licet consensu expresso vel tacito, et coinestitus, seu agnatus, et ipse dominus directus agnoscere tenetur, ex praesumpto consensu: quorum in numerum quoque dotalitium refertur, adeo, vt eius constitutionem nec dominus, nec agnati, nec filii declinare valeant. *AB EYBEN de Iure Paraph. Corol. XIV. P. II. opp. disp. IIX.* Sed non quadrare videtur haec in se satis firma thesis ad casum, quo de fideicommissio familiae feudalis qualitatis controuertitur. Concedunt qui contra dotalitium disputant esse hoc debitum legale: at reponunt, prouisionem hominis tollere prouisionem legis, et expressum facere cessare tacitum. Praeterea ad rationem, ob quam dotalitium oneribus feudalibus accensetur, recurrunt: quae est conuersio dotalis pecuniae in feudum, quae exulat in fideicommissis familiae; quippe in quae aut nihil conuertere potest fideicommissarius possessor regulariter, quod oneri fiat successoris: aut, si quicquam erogauit, vel ex dispositione fideicommittentis, quae instar

instar conditionis est; vel ex prouisione iuris, quae omnes usufructuarios, in specie vero possessores reuocabiles fideicommissorum, ad eorum conseruationem, interdum et meliorationem obstringit, illud fuit; Vtroque vero casu non quaerendum, vnde acceperint pecuniam. Nec obstat, quod versio dotis in feudum ex eius solutione possessori facta praesumatur, quippe probationem contrarii suscipere integrum est possessoribus *CARFZ. de Iure Foem. fmg. Dec. V. pos. IX. n. 19.* Facili\* ergo negotio successor in feudo probabit, non in fundi clientelaris vtilitatem concessisse dotem: quia, quicquid vltra legem disponentis in fideicommissarium feudum tale erogatum, male impensum et ad sumtus voluptuarios referendum videtur, qui non agnoscendi a successore. Admitti omnino potest, ad praestationem debitorum feudaliu istius generis, quale dotalitium, successorem quasi ex contractu teneri: dum facto acceptationis et occupationis feudi, illud simul actum creditur, vt is, qui iure proprio, vel a primo acquirente, vel concedente ad se deuoluto; non beneficio defuncti possessoris, quem tanquam vniuersalis possessor non repraesentat, feudum nactus, ad debita, feudo inhaerentia, nihilo minus illis se obstringat, cum quibus nunquam vere contraxit: Arramen rite monente *HORNIO Iurispr. feud. cap. XXI. §. 3.* ea actio non realis, sed personalis est: Praeterea exulat praesumptio agnitionis debiti, vbi de iure ob prouisionem fideicommittentis petendi feudum liberum liquet. Regulam proinde hanc: omne debitum quod in vtilitatem feudi verum probatur ex feudo soluendum esse, *Wittebergenses.* *ICI* recte exulare statuunt in emtore, vel tertio possessore. ap. *TOB. BARTH. diss. in praxi Cent. II. diss. 164.* Iam vero successor fideicommissarius, non absimilis tertio possessori; neque vi agnationis, aut simultaneae inuestiturae, respectu habito ad vltimum possessorem, vel etiam primum fideicommissi conditorem, ad feudum vocatur; sed ex speciali huius prouisione: simultanea vero inuestitura vel iure agnationis, saltem intuitu domini directi, ad id, vt feudi capax sit, ipsi opus est.

Est itaque dotalitium aes alienum legis, sed subordinatum, quod locum inuenit, vbi praedefunctus feudum possedit iure suo; aut agnationis, vel simultaneae inuestiturae illimitato, ac feudum aliquod in dominio habuit: Vbique recurrendum est ad ius in thesi, non in hypothesi: aut vbi nulla se exerit collisio iurium successiois,

nempe feudalis et allodialis. Abstrahendum hic itaque est a conceptu feudi, et res diiudicanda secundum indolem fideicommissorum, in quibus succeditur secundum naturam allodii. STRYK in *Tr. de Succ. ab Int. Diff. VII. Cap. III. §. 14.* IOH. VOET ad *Pand. T. ad SC. Treb. §. 30. THILL l. cit. §. 9.* In allodio autem dotalitium non est debitum legale; ergo nec fideicommissum, feudistica fidei possessum, ipso iure oneratur dotalitio, deficiente facto hominis.

Argumentum præterea duci potest a pari. Nempe, viduae illorum, qui coniunctam manum, restrictam per literas reuerſales ea lege consecuti, vt feudum heredibus allodialibus relinquunt, accepta certa summa, dotalitium ex eo feudo petere nequeunt. Ratio in promptu est: quia limitatim saltem praesentati, et de feudo simul sunt inuestiti. Idem est in feudo fideicommissio; vbi ea lege testator successores nominat, vt illud post mortem tale, quale acceperunt, id est a dotalitio omnibusque debitis liberum, remotiori fideicommissario relinquunt.

Neque semper dotalitium onus feudi est, sed exulat regula toties, quoties specialem destinationem feudum habet. Exemplo est successor feudorum imperii, quae annexam qualitatem ecclesiasticam habent apud protestantes; qui ad dotalitii constitutionem nullatenus obligatur, ex ratione: quia facultas, vxorem in matrimonium ducendi, non immutat naturam feudi, quod intuitu ecclesiae accepit Episcopus. HORN *l. c. §. X.*

De feudis quoque imperii *IT TERSVS Cap. XIX. §. u.* haud iniuria dubitari posse autumat, num dotalitium inter vassalli, an vero inter feudi onera referendum sit? et in compensationem quidem dotis successoribus feudi, quicumque demum fuerint, illud incumbere recte asserit: attamen excipit, nisi specialibus locorum consuetudinibus, pactis etiam, aut statutis familiae, quorum in his primam semper rationem habendam esse, agnoscit, aliud introductum esse, doceri queat. Qui et ex iure primogeniturae succedentem in principatibus, post genitorum fratrum filiabus dotem constituere non teneri defendit §. *sequ. 12.* At dubio caret, prouisiones maiorum in fideicommissis familiae eiusdem autoritatis esse cum conuentionibus familiarum; ac maioratus aut primogenituras inducentibus dispositionibus. Ideoque et hae derogabunt postulato, quod dotalitium viduae defuncti possessoris feudi debeatur. Huic enim regulae obstat alia, ex *textu II. f. 40. 52. 55. 9. §. 1.* quae negat, feuda villo modo, etiam ob dotem a vassallo alienari posse; adeo, vt, ne  
eo

eo quidem casu alienatio de iure liciti habeatur, quo vsufructus feudi alicui competens, ex persona eius aestimandus, alteri conceditur. ROSENTHAL *Cap. IX. Conclus. 10.* quod eueniret per constitutionem dotalitii. Fatentur denique Doctores, expressam prohibitionem patris, ne in feudo dotalitium constituatur, in gratiam liberorum, agnatorum, aut *familiae* factam, vim suam exerere, nisi nurui ius quaesitum iam iam ante prohibitionem competierit; dummodo praeter feudalia bona extent allodialia, ex quibus eidem, ratione dotalitii satisfieri possit; quod post alios, statuit, summi nominis quondam apud nos Ictus ABR. CHRIST. PLAZ in *diff. inaug. sub SAM. STRYKIO defensa, de iure viduae Saxon. in feudo. § LIV.* Nichil vero discriminis intercedit inter expressam et virtuales, seu per consequentiam, in fauorem familiae factam; quin necessariam ad conseruationem fideicommissorum familiae; quae eodem iure, quo aequipollentem prohibitionem detractionis Trebellianicae ex coniecturata voluntate testatoris admittit MENOCH. *Vol. IV. Conf. 374* et rogatum rem alteri in familia restituere, tacite eandem alienare prohiberi PET. MÜLLER *ad STRVV. Ex. XXXVI. L. XXXVI. Tit. 1. th. 17. lit. β.* tradit, directae prohibitionis vim habebit.

Ex hactenus recensitis argumentis praecipuis, quibus, qui dotalitio in fideicommissio familiae locum non relinquunt, vtuntur; quorumque aliquibus praeponderari videtur aliter sententium opinio, de huius simul fundamentis liquet, quae ideo in medium asferre superfedemus.

Restat enim, vt more solito, Candidatus dignissimus

## CAROLVS RVDOLPHVS GRAEFIVS

ad gradum I. V. D. promouendus, commenderur. Natus scilicet Tauchae prope Lipsiam anno huius Seculi XXXI. d. XIV. Kal. Iul. parentibus superstitibus D. CAROLO RVDOLPHO GRAEFIO, caesarum patrono dexterrimo et IOHANNA SOPHIA e gente Siegelia. Exactis ibi in domo aui materni, Gideonis Siegelii I. V. Lic. primis infantiae annis, priuata institutione vsus: Deinde vna cum paterno domicilio Lipsiam, anno aetatis nono translatus, et paulo post KRIEGELII, DROYSIGII, HVLSII ET ERNESTI disciplinae in schola Thomana inter externos traditus est: quorum in se erudiendo studium, vsque grata colit mente. Anno MDCCXXXVII. IOECHERO Rectore Magnifico discentium; MDCCXLV. vero, sub Rectore HEBENSTREITII, ipsorum ciuium academicorum


## XIII

numero adscriptus. Audiuit in Theologicis TELLERVM et SANXIVM b. d. In Philosophicis WINKLERVM et PAULI: In Historicis IOEHERVM, BEYERVM et SCHVMANNVM: In Antiquitatibus BACHIVM et ERNESTI: In Iure Naturae G. MASCOVIVM et ALANDVM; In Romano ZOLLERVM, cuius et disputationibus ex Ludouico per biennium interfuit, atque SAMMETIVM: In Feudali et Cambiali SIEGELIVM: In Canonico - Ecclesiastico WISENHAVERVM et BREVNINGIVM: In Processualibus Parentem meum, pie mihi colendum RIVINVM; nec non patrem suum, supra laudatum cognominem. Quorum omnium doctrina atque benevolentia, vti studia sua vehementer adiuta esse profitetur: ita CRAMERO, cuius ex ore in iure patrio publico et priuato; ciuili atque criminali, per biennium integrum pependit, plurimum se debere agnoscit. Anno MDCCXLIX, disputationem ZOLLERI pro loco in Facultate nostra olim obtinendo, hab. horis pomeridianis Respondens defendit. Suis absolutis studiis academicis, ad aliena regenda accessit: praesertim ab anno MDCCLII. Generosiss. CHRISTIANI FRIDERICI CVRT A LVTTICHAV curam feliciter ac prouide in hac Academia gessit: cuius animi indole pariter, ac *Gentis Luttichaviae* in se indulgentia leuatum munus illud sibi sensit. Ex quo vero is Academiae nostrae valedixit, desiderium capessendi summos in vtroque iure honores Collegio nostro exposuit. In vtroque examine peregrinia studia nobis probauit. Proximo mercurii die, hora a merid II. L. i. C. sine censu, lectione curforia explicabit. Insequente die Iouis dissertationem inauguralem *de Rectoribus Guitatis* sine praeside defendet. Quibus peractis, Vir Magnus acque Excellentissimus, Collega coniunctissimus IOANNES GOTTLIEB SIEGEL *Ictus, T. de V. S. et R. I. P. P. et Assessor Ordinis nostri, de eo optime meritus*, in quem, vice Cancellarii protestatem hanc transtuli, summis in iure honoribus, ac priuilegiis doctoralibus, solo sessionis et suffragii apud nos iure excepto, eundem exornabit. Quam Panegyrim, vt RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, ILLVSTRISSIMI COMITES, ET VTRIVSQUE REIPUBLICAE PROCERES, praesentia sua exornent; nec non Generosissimi et Nobilissimi Ciues academiae concelebrent, officiosissime atque humanissime oro rogoque. Dabam D. Dom. XXIII. P. F. Trin. A. S. R. MDCCLV.

---

L I P S I A E,  
EX OFFICINA STOPFFELIA.







ULB Halle  
005 711 126

3



vol 18





1755, 18. #7

PROCANCELLARIVS  
D. AVGVSTVS FLORENS  
RIVINVS

CAPIT. WVRZ. CANON. FAC. IVR. LIPS.  
ASSESSOR. SVPR. CVR. PROV. ET CONS.  
IBID. ADV. ORDIN.

PANEGYRIN INAVGVRALEM  
CANDIDATI PRAESTANTISSIMI  
CAROLI RVDOLPHI GRAEFII

D. VI. NOV. MDCCLV.

CELEBRANDAM INDICIT.

*an dotalium & fideicommissi familiae peti  
possit?*

